



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hyperdvlia Mariana

**Berchmans, Johannes
Canisius, Jacobus**

München, 1636

IV. Hyperduliae species, Quotidie officium B. Mariae Virginis recitare.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55266)

I. V.

HYPERDVLIÆ SPECIES.

Quotidie Officium B. MARIÆ Virginis recitare.

S. I.

Officiosus est amor maximè diuinus & Marianus, qui quidquid officij amatæ gratum nouit, eidem liberaliter impendit. Eiusmodi amor inflammauit Berchmannum; inflammatoque persuasit, vt in B. MARIAM Deiparam Virginem officiosus esse totus vellet. Sic volenti nullum officium, quo virginem demereretur excidit, nec illud quidem, quod officium B. Virginis vocant, & certæ solennésq; Ecclesiæ preces sunt, quibus illa B. Virginē honorat. Atq; hoc officio Magnam Matrem Berchmannus quotidie sibi studuit demereri; hoc illam propitiare; hoc illi placere conatus, egregiè imitatus est (præter alios domesti-

cos sodales suos, quos aliàs volente
Deo Deiparæque in publicum produce-
mus) S. Margaretam Pannoniæ Regi-
nam, quam vel quadrimulam idem Vir-
gini officium impendisse graues aucto-
res memorant.

Sur. Lipoman. Lippeloo. Ribad.

Porro hoc officium ne tunc quidem
Berchmanno excidere singularis eius in
Virginem amor fuit, quo per autumnæ
ferias illi à studijs animum remittere
licuit, teste Ceparo, rerum ab illo gesta-
rum conditore, cuius verba sunt: Tem-
pus, quo maximè in Deiparæ Virginis
cultu triumphabat, erat longiusculum
illud vacationum, cum Tusculum in
Vineam itur, quod ipse vniuersum re-
ligioni suæ in Virginem explicandæ, ex-
plendæque consecrassè videbatur. Pedes
egressus vrbe iam inde ab ipso portæ
transitu cum Sodalibus itinerantiũ pre-
ces persolvere; tum Deiparæ officium
quod nullo non die recitabat percurrere
&c.

*Virgil. Cepar. & Her. Hug.
in Vit. pag. 159.*

Itaq.

Itaque in ipsa corporis relaxatione
principiòq; lætitiæ suæ, quamvis occu-
pationum scholasticarum tantisper im-
memor, Magnæ tamen Matris vsq; me-
mor & ad eandem versus, hoc Iessæi va-
tis oraculum meritò potuit vsurpare: Si
oblitus fuero tui Hierusalem, obliuioni
detur dextera mea; Adhæreat lingua
mea faucibus meis si non meminero
tui, si non proposuero Hierusalem in
principio lætitiæ meæ. *Psal. 136.*

Verum enim vero non contentus
Berchmannus hoc officium Virgini ver-
bis tenus impendisse, sensu quoque ver-
borum, Psalmorum Hymnorumq; offi-
cio contentorum venerari desiderauit.
Quapropter ipsissimo hoc autumnaliũ
vacationum tempore, Psalmorum Ma-
riano officio contentorum interpretem
aliquem sibi quæsiuit, vt Ceparus au-
ctor est, cuius verba subijcio: Tusculi,
quoties aliorum in cœtu ambulatum
prodibat, si quis sacerdos aderat erudi-
tione, vsûque cælestium rerum clarior,

depenso orationum aliarumque orationum numero, psalmum aliquem è Mariano Officio interpretandum illi proponebat; quo quaestionum genere, rerumque similium argumento occasionem dabat scilicet extrahendi de **MARIA** sermonis.

§. I I.

Praemium Hyperdulia

Fuit, quòd Berehmanno Officium obsequiumque, amicitiam Virginis conciliarit. Nam: Officium & obsequium amicos parit. Quantum verò praemium amicitiam frui **MATRIS DEI**?

Cic. in Lelio.

V.

HYPERDULIAE SPECIES.

B. Virginis iconem anathemate, appensisque iconi votis precibus, & corporis afflictationibus venerari.

§. II